

PONTIFICIA COMMISSIONE  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

**COMMUNICATIONES**

VOL. XII - N. 2

---

1980

# COMMUNICATIONES

PONTIFICA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1980

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

### *Allocutiones*

I. Ad partipes IV Conventus Internationalis de Iure Canonico Friburgi in Helvetia celebrati . . . . .	203
II. Ad Patres Synodales in Sacello Sixtino ad concludendum V Coetum Generalem Synodi Episcoporum . . . . .	208

## EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

I. Relatio de opera Signaturae Apostolicae in causis matrimonialibus pro tuenda familia . . . . .	215
II. Relatio Pontificiae Commissionis CIC recognoscendo: 1. De labore a Commissione peracto et peragendo . . . . .	220
2. De iure Familiae in Schemate CIC . . . . .	225

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### *Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei*

Responsa ad proposta dubia . . . . .	234
<i>Pontifícia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis</i> Responsa ad proposta dubia . . . . .	235

## ACTA COMMISSIONIS

### *Opera Consultorum in recognoscendis Schematibus canonum*

I. Coetus studiorum « De Populo Dei » . . . . .	236
II. Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus sacris deque Cultu divino » . . . . .	319
III. Coetus studiorum « De bonis Ecclesiae temporalibus » . . . . .	388

## DOCUMENTA

I. De Indicibus operis Acta Synodalia S. Concilii Oecumenici Vaticani II .	436
II. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera Signaturae Apostolicae . . . . .	438
III. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera Recognitionis Codicis Iuris Canonici . . . . .	451
IV. Certaminis Vaticani celebratio . . . . .	456

## NOTITIAE . . . . .

459

## SESSIO II

(diebus 3-7 decembris 1979 habita)

Adunatio diei 3 decembris 1979

## TITULUS IV

## DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

*Can. 28 (CIC 1203)*

§ 1. *Omnes fideles defuncti exequiis ecclesiasticis Deo commendandi sunt.*

§ 2. *Exequiae seu ritus sacri quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat simulque vivis spei solacium affert, celebranda sunt iuxta modum, quem, ad normam legum liturgicarum, Conferentia Episcopalis regionis statuerit.*

§ 3. *Illis etiam qui proprii cadaveris cremationem elegerint, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianaे vitae adversis, concedendi sunt exequiarum ecclesiasticarum ritus, eo tamen modo celebrati ut non lateat Ecclesiam consuetudinem corpora sepeliendi anteponere, vitatoque periculo scandali.*

— Circa rubricam huius tituli nonnulli animadverterunt rubricam « de sepultura ecclesiastica » non bene congruere cum materia totius Sectionis, quae est de locis sacris; melior videtur rubrica « De coemeteriis ».

Consultores talem suggestionem approbant eo vel magis quod, uti dictum est quando agebatur de ordine systematico Libri IV, mens est transferendi canones qui pertinet ad sepulturam in titulum de sacramentalibus. De hac quaestione tamen discussio fusius habebitur tempore opportuno in toto contextu ordinationis systematicae.

— Quoad recognitionem can. 28 piae oculis habetur propositio cuiusdam Organi consultationis, quod praebet definitionem sepulturae his verbis: « Sepultura ecclesiastica consistit in ritibus sacris, quibus Ecclesia fideli defuncto spiritualem opem imploret simulque munus honorificum ei praebet necnon vivis spei solacium affert ».

Consultoribus non placet definitionem hanc in canonem introducere, iuxta criterium evitandi in Codice definitiones, tamen quaedam suggestiones ex formula seliguntur, scilicet ut sermo fiat in canone de « sepultura » potius quam de « exsequiae » et ut mentio fiat de « munere honorifico » quod praebetur defuncto ope sepulturae.

Circa quaestionem adhibendi verbum « sepultura » habetur discussio inter Consultores. Aliqui censem verbum « exsequiae » latius patere quam verbum « sepultura », ideo praeferunt ut adhibeatur verbum « exsequiae ». Alii censem solutionem huius quaestioneis pendere a loco collocationis horum canonum: si collocentur in Sectione de locis sacris, aptius videtur verbum « sepultura », si vero collocentur in Sectione de sacramentalibus, aptius videtur verbum « exsequiae ». Tertius Consultor vero censem in casu attendendum magis esse ad significationem conventionalem verborum; in nostro canone enim non agitur de « sepultura » simpliciter, sed de « sepultura ecclesiastica », de sepultura nempe qualificata, quae alios etiam actus comprehendit praeter tumulationem cadaveris.

Post hanc discussionem fit suffragatio an placeat adhibere verbum « sepultura ecclesiastica »: placet 4, non placet 2.

Fit etiam suffragatio an placeat habere in canone mentionem de munere honorifico defunctis tributo ope sepulturae: placet 4, non placet 3.

— Quoad § 1 Consultor quidam proponit ut ita redigatur: « Omnes christifideles defuncti sepultura ecclesiastica ad normam iuris donandi sunt ». Alter Consultor proponit ut deleatur verbum « omnes », utpote superfluum, quod omnibus placet. Tertius Consultor censem verba « ad normam iuris » supprimi posse, sed alii consultores non ita censem. Canon ergo approbatur uti proponitur, dempto verbo « omnes ».

— Quoad § 2 quaestio fit inter Consultores an retinenda sit mention Episcoporum Conferentiae quoad facultatem statuendi modum de ritibus sacris sepulturae ecclesiasticae. Consultores censem talem mentionem deleri posse, cum de hac facultate clare agatur in libris liturgicis.

— Attentis quae nuper dicta ac deliberata sunt, tres Consultores, communi consilio, ita formulam § 2 redigunt: « Sepultura ecclesiastica qua Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat eorumque corpora onorat ac simul vivis spei solacium affert, celebranda est ad normam legum liturgicarum ».

— Quoad § 3 nonnulli conquesti sunt eo quod de crematione cadaveris loquatur modo omnino negativo.

Consultores prae oculis habent Instr. « De cadaverum crematione » S. Congregationis S. Officii anni 1964, necnon normas quas praebet novus « Ordo exequiarum » circa exequias illorum qui cremationem elegerunt. Ex his documentis apparent voluntas Ecclesiae benigne considerandi proxim cremandi cadavera, quae habetur in multis regionibus ob rationes quae nullo modo sapiunt offendit doctrinam catholicae. Quare Consultoribus opportunum videtur normam redigere quae exprimat commendationem Ecclesiae servandi consuetudinem piam sepeliendi corpora defunctorum ac simul permissionem cremandi cadavera quando non adsint rationes doctrinae christianaee contrariae; in can. 40 autem praescribi debet privatio exequiarum ecclesiasticarum pro illis qui cremationem elegerunt ob rationes doctrinae christianaee contrariae.

His dictis, proponitur ut formula § 3 ita redigatur: « Enixe commendat Ecclesia ut pia consuetudo defunctorum corpora sepeliendi servetur; non tamen prohibet cremationem, nisi ob rationes christianaee doctrinae contrariae electa fuerit ».

Haec formula omnibus Consultoribus placet.

*Can. 29 (novus)*

*In celebratione exequiarum, praeter distinctionem ex Ordine sacro manantem, nulla personarum in caeremoniis habeatur acceptio.*

— Plures animadversiones contra hunc canonem factae sunt eo quod in celebratione exequiarum admittat tantum distinctionem ex Ordine sacro manantem; quod fere impossibile est in proxim deducere eo quod plures alii dantur tituli legitimi ob quos aliqua distinctio in celebratione exequiarum concedi debet. Ceterum in ipsa Const. « Sacrosanctum Concilium » (n. 23) habetur mentio circa « honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos », et prohibetur acceptio quod attinet tantum ad personas privatas aut condiciones.

Plures Consultores convenient quod in praxi haec lex difficulter applicari potest nisi admittantur plures exceptiones, quas tamen per difficile esset in lege recensire; quare ipsi Consultores opportunum censem ut canon deleatur. Duo Consultores vero vellent canonem retinere adhibendo tamen generaliorem formulam, qua prohibetur in exequiis acceptio personarum ob rationes oeconomicas.

Fit suffragatio an placeat delere canonem: placet 5, non placet 2.

Adunatio diei 4 decembris 1979

CAPUT I  
DE COEMETERIIS

*Can. 30 (CIC 1205)*

§ 1. *Coemeteria Ecclesiae propria, ubi fieri potest, habeantur, vel saltem spatia in coemeteriis civilibus fidelibus defunctis destinata, alterutra rite benedicenda.*

§ 2. *Si vero hoc obtineri nequeat, toties quoties singuli tumuli rite benedicantur.*

§ 3. *In ecclesiis cadavera ne sepeliantur nisi agatur de cadaveribus Romani Pontificis aut S. R. E. Cardinalium vel Episcoporum residentialium et olim residentialium in propria ecclesia sepeliendis.*

*Can. 31 (CIC 1206)*

*Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria.*

— Ante omnia examinantur suggestiones factae circa can. 31. Non nulli proposuerunt ut canon deleatur quia non necessaria videtur vindicatio iuris Ecclesiae possidendi propria coemeteria; imo non desunt qui dubitant de fundamento huiusmodi iuris Ecclesiae, an scilicet Ecclesia possit legitime hoc ius vindicare.

Consultores attente hanc quaestionem examinant et suas sententias proferunt. Aliqui censem can. 31 esse retinendum, secus posset quis arguere Ecclesiam renuntiasse iuri possidendi propria coemeteria. Imo alicui Consultori ius possidendi coemeteria videtur necessarium ut conditio praeeliminaris ad hoc ut coemeteria recenseri possint inter loca sacra.

Alii Consultores censem can. 31 deleri posse sive quia tale ius Ecclesiae possidendi coemeteria fundari videtur in iure positivo praetitorum saeculorum, quod nunc non ab omnibus agnoscitur, sive quia sufficit in can. 30 enuntiare *factum* possessionis coemeteriorum ex parte Ecclesiae, quae possessio innititur in iure generali Ecclesiae possidendi bona temporalia. Unus Consultor praeterea censem melius esse vindicare Ecclesiae ius destinandi aliquod coemeterium vel partem ipsius coemeterii tamquam locum sacrum mediante benedictione constitutiva, prae-

scindendo a quaestione proprietatis coemeterii. Ceterum nostris temporibus non videtur opportuna possessio coemeteriorum, cum talis possessio importet onera non pauca.

His dictis fit suffragatio an placeat delere can. 31: placet 4, non placet 3.

— In can. 30 § 1 deletur verbum « alterutra », quod superfluum videtur.

— Aliquis Consultor proponit ut in can. 30 § 1 dicatur « reserata » loco « destinata ». De hac suggestione habetur suffragatio cuius exitus hic est: placet 3, non placet 3, abstinet 1; praevalet ergo textus prout est.

— Unus Consultor proponit ut in can. 30 § 2 deleatur verbum « rite » utpote superfluum. Alii Consultores vero non ita sentiunt.

— Circa c. 30 § 3 aliqui petierunt ut privilegium sepulturae in Ecclesia cathedrali extendatur etiam Episcopis coadiutoribus et auxiliariibus, alii autem petierunt ut tale privilegium nemini concedatur. Omnes Consultores autem concordes sunt ut canon quoad substantiam maneat uti est.

Quoad redactionem ipsius canonis vero, attenta suggestione cuiusdam organi consultationis, Consultores approbant ut formula ita mutetur: « ... nisi agatur de Romano Pontifice aut de S.R.E. Cardinalibus vel Episcopis etiam olim dioecesanis, in propria ecclesia sepeliendis ».

Circa hanc redactionem aliquod dubium exprimit unus Consultor circa verba « *Episcopis* etiam olim dioecesanis » utrum scilicet illa verba designent Episcopos dioecesanos et olim dioecesanos tantum, utrum etiam Episcopos auxiliares et Episcopos coadiutores; de sententia aliorum Consultorum illa verba designant tantum Episcopos dioecesanos et olim dioecesanos.

— Consultores unanimiter decernunt ut § 3 fiat can. 32 bis.

#### *Can. 32 (CIC 1208)*

*§ 1. Paroeciae et Instituta vitae consecratae coemeterium proprium habere possunt.*

*§ 2. Etiam aliis personis iuridicis vel familiis privatis permitti potest ab Ordinario loci peculiare sepulcrum rite benedictum.*

*§ 3. Quoad praedictorum iurium exercitium provideat ius particulare.*

— De sententia quorundam organorum consultationis norma § 2 supprimi debet, quia Ecclesiae tribuitur potestas quae potius pertinet ad auctoritates civiles.

Consultor quidam censemt hanc normam habuisse suum valorem quando coemeteria tantum ecclesiastica existebant et requirebatur licentia auctoritatis ecclesiasticae ad coemeterium vel sepulcrum peculiare alibi habendum; nunc autem, conditionibus rerum mutatis, pertinet ad potestatem civilem facultatem concedere ut quis alibi habeat peculiare sepulcrum. In tali casu peti tantum potest ab Ecclesia ut illud sepulcrum benedicat. Alius Consultor autem censemt pertinere ad Ecclesiam potestatem permittendi peculiare sepulcrum personis iuridicis vel familiis privatis.

Post brevem discussionem omnes approbant formulam § 2 ita redactam: « Etiam aliae personae iuridicae vel familiae habere possunt peculiare coemeterium seu sepulcrum de iudicio Ordinarii loci benedicendum ».

— Consultor quidam censemt § 3 esse inutilem, quia dubitari non potest de potestate Episcopi moderandi exercitium iurium de quibus in §§ 1-2, etiamsi id expresse non dicatur. Duo alii Consultores autem proponunt ut in § 3 dicatur potius de potestate quam habet Episcopus ferendi normas de disciplina in coemeteriis servanda, praesertim quod attinet ad eorum sacralitatem servandam ac tuendam. Cum haec propositio omnibus placeat, ita redigitur formula § 3: « Opportunae normae de disciplina in coemeteriis servanda, praesertim ad eorum indolem sacram tuendam et fovendam quod attinet, iure particulari determinentur ».

Consultoribus placet ut haec norma fiat can. 32 ter.

## CAPUT II

### DE CADAVERIS TRANSLATIONE AD ECCLESIAM, FUNERE AC DEPOSITIONE

*Can. 33 (CIC 1215-1218)*

§ 1. *Funus pro quolibet fidei defuncto pro regula in propriae paroeciae ecclesia celebrari debet.*

§ 2. *Fas est autem cuilibet fidei, vel iis quibus fidelis defuncti exequias curare competit, aliam ecclesiam funeris eligere, dummodo consensus rectoris legitime accedat.*

§ 3. *Si extra propriam paroeciam mors acciderit, neque cadaver ad eam translatum fuerit, neque aliqua ecclesia funeris legitime electa, exequiae celebrentur in ecclesia iure particulari designanda.*

— Quoad rubricam huius capitinis suggestum est ut adhibeatur locutio aliqua generalis, quin distincte mentio fiat de translatione cadaveris ad ecclesiam ac de eius depositione. Hac in re enim non eadem est ratio agendi in singulis regionibus. Aptior inscriptio rubricae videtur esse « De exequiis ». Ceterum in canonibus huius capitinis numquam sermo fit de translatione cadaveris ad ecclesiam.

Suggestio haec placet Consultoribus, ideo rubrica huius capitinis erit: « De exequiis ».

— Suggestum est ut praeponatur aliquis canon quo commendetur ut retineatur, si fieri potest, mos transferendi corpus defuncti, ad celebrationem funeris peragendam, in ecclesiam et exinde ad locum depositionis, ubi adhuc tale mos viget. Propositio non placet Consultoribus, qui censem de hac re normas sufficientes haberi in libris liturgicis.

— Quoad can. 33 § 1 Consultores perpendunt suggestionem aliquius organi consultationis complendi formulam hoc modo: « Officium et ius sepulturam ecclesiasticam peragendi modo ordinario competit parocho proprio defuncti, ideoque funus pro quolibet fideli defuncto etc. ... ». Duo Consultores talem suggestionem approbant, sed omnes alii Consultores censem hanc additionem esse superfluam, quia sufficit in canone determinare ecclesiam ubi funus celebrari debet.

— Consultoribus placet ut in § 1 dicatur « generatim », loco « pro regula », utque dicatur « exequiae » loco « funus ».

— Circa conditionem de qua in § 2 « dummodo consensus ... accedat », nonnulli suggesserunt ut supprimatur, alii suggesserunt ut locutio mitior adhibeatur, alii autem ut compleatur exquirendo etiam consensum parochi ipsius defuncti.

Consultores, collatis consiliis, clausulam ita mutant: « de consensu eius rectoris et monito defuncti parocho ».

— Quoad § 3 nonnulli suggesserunt ut iure codicis statuatur quae-nam sit ecclesia funeris in casu descripto, facta tamen facultate iuri particulari aliam ecclesiam designandi. Suggestio placet Consultoribus, qui ita formulam mutant: « ... exequiae celebrentur in ecclesia paroeciae ubi mors accidit, nisi alia iure particulari designata sit ».

*Can. 34 (CIC 1219)*

*Exequiae Episcopi residentialis defuncti in propria ecclesia cathedrali celebrentur, nisi aliam ecclesiam elegerit.*

— Aliquis Consultor proponit ut canon ita emendetur: « Exequiae Episcopi dioecesani in propria ecclesia cathedrali celebrentur, nisi ipse aliam ecclesiam elegerit ». Haec propositio placet 5 Consultoribus, non placet 2.

*Can. 35 (CIC 1221)*

*Exequiae sodalium Institutorum vitae consecratae eorumque qui cum illis stabiliter commorantur fiant ad normam constitutionum.*

— De sententia alicuius Consultoris hic canon redigi potest modo magis conformi praxi quae viget pro exequiis sodalium Institutorum vitae consecratae, id est ut exequiae celebrentur in propria ecclesia aut oratorio a superiore, si Institutum sit clericale, secus a cappellano. Alii Consultores accedunt huic propositioni; volunt tamen ut haec norma non sit taxativa, ita ut, accendentibus peculiaribus circumstantiis, exequiae etiam alibi celebrari possint. Consultores item censem in canone supprimi posse mentionem eorum qui cum religiosis « stabiliter commorantur », quia de illis providetur vi can. 33 § 2.

His dictis, formula canonis ita redigitur: « Exequiae religiosorum generatim celebrentur in propria ecclesia aut oratorio a superiore, si Institutum sit clericale, secus a cappellano ».

*Can. 36 (CIC 1223)*

§ 1. *Si paroecia habet proprium coemeterium in eo tumulandi sunt fideles defuncti, nisi aliud coemeterium legitime electum fuerit vel ab ipso defuncto vel ab iis quibus defuncti sepulturam curare competit.*

§ 2. *Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere coemeterium sepulturae, quo in casu in illo sepeliantur cadavera, dummodo consensus accedat superioris a quo coemeterium pendet.*

— Suggestum est ut hic canon deleatur, quia coemeteria paroecialia ita pauca sunt in Ecclesia et circumstantiae quoad locum mortis et sepulturae ita variae sunt, ut non conveniat normas de hac re statuere.

Fit suffragatio an placeat canonem delere: placet 2, non placet 5.

— Aliquis Consultor proponit ut expungatur e § 2 verbum « expresse », ita ut, per generaliorem clausulam « nisi iure prohibeantur », comprehendantur etiam sodales Institutorum vitae consecratae, qui ratione sui status ius non habent ad coemeterium sepulturae eligendum. Propositio haec omnibus placet.

— Suggestum est ut deleatur alia pars § 2 « quo in casu... », quae non videtur necessaria. Propositio placet omnibus; ideo formula § 2 erit: « Omnibus autem licet, nisi iure prohibeatur, eligere coemeterium sepulturae ».

### Adunatio diei 5 decembris 1979

#### Can. 37 (CIC 1235)

*Quamvis fovenda sit fidelium consuetudo oblationes Ecclesiae occasione funerum libere donandi, current tamen Ordinarii ne ullo modo taxae exigantur; omnibus autem fidelibus defunctis semper exequiae persolvantur iuxta leges liturgicas et Conferentiae Episcopalis praescripta.*

— Cum in Lib. V, can. 6, normae dentur de taxis vel de oblationibus, in dioecesi determinandis occasione ministerii sacri, proponitur ab aliquo Consultore ut fiat remissio ad illum canonem. Propositio placet Consultoribus, quare formula canonis ita redigitur: « Ad oblationes occasione funerum quod attinet serventur praescripta can. 6 (De bonis Ecclesiae temporalibus), cauto tamen ne ulla fiat in exequiis personarum acceptio neve pauperes debitibus exequiis priventur ».

#### Can. 38 (CIC 1238)

*Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae Sacraenta ministraverit, locum et tempus tumulationis.*

— Plures conquesti sunt eo quod in hoc canone plura praescribuntur ut adnotentur in libro defunctorum.

Consultor quidam hanc animadversionem recipiens, proponit ut in lege generali praecipiatur inscriptio in libro defunctorum; quoad alias autem notitias forte adnotandas normae dentur a iure particulari. Cum haec propositio omnibus placeat, ita canon redigitur: « Expleta tumulatione, inscriptio in librum defunctorum fiat ad normam iuris particularis ».

## CAPUT III

DE IIS QUIBUS SEPULTURA ECCLESIASTICA  
CONCEDENDA EST AUT DENEGANDA*Can. 39 (CIC 1239)*

*§ 1. Omnes fideles et catechumeni defuncti exequiis ecclesiasticis donandi sunt nisi iisdem a iure expresse priventur.*

*§ 2. Fratribus seiunctis, qui per baptismum in quadam cum Ecclesia catholica communione constituti sunt, concedi possunt exequiae ecclesiasticae de prudenti loci Ordinarii iudicio.*

*§ 3. Etiam alii, qui aliquo modo ad Ecclesiam propinqui videbantur, sed antequam baptismum receperint decesserunt, suffragia Ecclesiae, de prudenti loci Ordinarii iudicio, ad normam legum liturgicarum, recipere possunt.*

— Consultores, attento can. 28 § 1 de sepultura ecclesiastica donanda omnibus fidelibus defunctis ad normam iuris, censem in praesenti can. 39 § 1 normam restringendam esse ad catechumenos.

— Quoad § 2 suggestum est ut aliquae conditiones requirantur ad exequias ecclesiasticas fratribus seiunctis concedendas, nempe ut ipsi, voto suo saltem implicite manifestato, Ecclesiae catholicae adhaeserint et dummodo minister defuncti proprius haberi nequeat.

Consultores censem hanc suggestionem considerationem mereri, quia norma, uti prostat in Schemate, nimis lata videtur; ipsi concordant ut requiratur saltem conditio quod minister defuncti proprius haberi nequeat et quod non constet de contraria voluntate ipsius defuncti. Unus Consultor autem censem sepulturam ecclesiasticam fratribus seiunctis dene-gandam esse; etsi enim supponi possint casus in quibus ipsis concedi possunt quaedam sacramenta, nulla appetet necessitas donandi etiam sacramentalia.

— Suggestum est ut norma § 2 extendatur etiam ad parvulos quos parentes baptizare volebant, quique autem ante baptismum mortui sunt.

Duo Consultores censem hanc extensionem non esse faciendam in Codice, sive quia in *Ordo exequiarum* iam adsunt normae circa hanc rem, sive quia talis praxis non videtur fovenda ne increbescat mos procrastinandi baptismum. Alii Consultores autem favorabiles sunt ut norma § 2 extendatur ad tales parvulos.

— Nonnullis norma § 3 superflua videtur quia nullibi vetantur suffragia pro omnibus defunctis, etiam non christianis. Etiam Consultores idem sentiunt de suppressione § 3. Alia praeterea accedit ratio supprimendi hanc normam, quia scilicet canon agit de exequiis, dum § 3 agit de suffragiis.

His omnibus dictis, aliquis Consultor proponit sequentem formulam can. 39, quae omnibus placet:

« § 1. Ad exequias quod attinet christifidelibus catechumeni accensendi sunt.

§ 2. Ordinarius loci permittere potest ut parvuli quos parentes baptizare volebant, quique autem ante baptismum mortui sunt, sepultura ecclesiastica donentur ».

§ 3. Baptizatis, alicui Ecclesiae aut communitati ecclesiiali seiunctae adscriptis, sepultura ecclesiastica concedi potest de prudenti Ordinarii loci iudicio, dummodo minister proprius haberi nequeat et non constet de contraria eorum voluntate ».

Can. 40 (CIC 1240)

§ 1. *Exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa, peccatores quibus eaedem non sine publico fidelium scandalo concedi possunt.*

§ 2. *Occurrente aliquo dubio consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est; permanente autem dubio, concedatur ritus exequialis, ita tamen ut removeatur scandalum.*

— Quoad hunc canonem plures conquesti sunt eo quod modo nimis generico indicatur categoria eorum quibus sepultura ecclesiastica deneienda est; criterium nempe in canone descriptum ita flexible appareat ut practice incumbat parocho onus determinandi quinam sint peccatores qui privari debent exequiis ecclesiasticis. Plura organa consultationis ergo petierunt ut aliquis index, quamvis non taxativus, peccatorum praebetur, ita ut norma univoce, quantum fieri potest, applicari possit.

Consultores has animadversiones accurate perpendunt et suas sententias exprimunt ex quibus consensus unanimis appareat circa opportunitatem redigendi aliquem indicem eorum qui exequiis ecclesiasticis privandi sunt.

Attentis suggestionibus ab organis consultationis factis, aliquis Consultor proponit aliquas classes peccatorum in canone recensendas:

*a)* notorii apostatae, haeretici et schismatici. Omnes Consultores concordes sunt circa hanc classem in canone includendam;

*b)* notorie excommunicati: Consultor quidam meminit in novo iure poenali inter effectus excommunicationis recensitam non esse privationem sacramentalium, quare fere omnes alii Consultores praeferrunt ut in praesenti canone excommunicati non recenseantur explicite sed ipsi includantur in generali classe « peccatorum publicorum ». Unus Consultor autem vellet excommunicatos distincte recensere;

*c)* addicti consociationibus, quae Ecclesiae catholicae sunt infensae: circa hanc classem duo Consultores in luce ponunt difficultates practicas determinandi gradum adhaesionis doctrinis consociationis Ecclesiae forte infensae, quare prudens videtur ut tales addicti consociationibus non recenseantur explicite in canone, ita ut si quando quis ex hoc capite graviter et manifeste peccaverit privetur exequiis quia peccator manifestus. Etiam alii duo Consultores ita sentiunt; ceteri vero recensere explicite vellent hanc classem peccatorum.

Fit suffragatio an placeat hanc classem recensere: placet 3, non placet 4;

*d)* qui proprii corporis cremationem elegerint ob rationes fidei christianaes adversas.

Fit suffragatio an placeat hanc classem recensire: placet 5, non placet 2;

*e)* qui vitam exigentiis vitae christianaee penitus contrariam duxerunt ita ut exequiae non sine publico fidelium scandalo concedi possunt.

Fit suffragatio an placeat hanc classem in canone recensire: placet 3, non placet 4;

*f)* alii peccatores manifesti quibus sepultura ecclesiastica non sine publico fidelium scandalo concedi potest.

Fit suffragatio an placeat hanc classem recensire in canone: placet 5, non placet 2.

His omnibus dictis et suffragatis, aliquis Consultor hanc formulam canonis redigit, quae omnibus placet:

« § 1. Sepultura ecclesiastica privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa:

1º notorii apostatae, haeretici et schismatici;

2º qui proprii corporis cremationem elegerint ob rationes fidei christianaes adversas;

3º alii peccatores manifesti quibus sepultura ecclesiastica non sine publico fidelium scandalo concedi potest.

§ 2. Occurrente aliquo dubio consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est ».

— Suggestum est ab aliquo organo consultationis ut addatur novus canon ita redactus: « Excluso ab ecclesiastica sepultura, deneganda quoque est quaelibet missa exequialis ». Propositio haec omnibus Consultoribus placet.

### Adunatio diei 6 decembris 1979

#### SECTIO III DE TEMPORIBUS SACRIS

Can. 41 (CIC 1243)

*Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies paenitentiae.*

— De sententia quorumdam Organorum consultationis redactio huius canonis mutari debet, quia totus annus liturgicus est tempus sacrum et in ambitu anni liturgici peculiare momentum habent dies festi et dies paenitentiae.

Aliquis Consultor censem perit ad liturgiam definire quaenam sint tempora sacra; in iure autem statui debent obligationes iuridicæ peculiariis temporibus conexae. Alius Consultor proponit ut can. 41 deleatur, quia in iure nullum momentum habet talis definitio et quia opportunum videtur ut dentur in liturgia notiones temporum sacrorum.

Fit suffragio an placeat delere can. 41: omnibus Consultoribus placet.

Can. 42 (CIC 1244)

*Dies festos itemque dies paenitentiae, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est Supremæ Ecclesiastice Auctoritatis.*

— Suggestum est ut ponatur hic, tamquam § 2 huius canonis, norma quae habetur sub can. 49 Schematis, scilicet: « Episcopi dioecesani peculiares suis dioecesibus, seu locis, dies festos aut dies paenitentiae possunt, per modum tantum actus, indicere ». Propositio haec omnibus placet.

*Can. 43 (CIC 1245)*

*Firmo iure Episcoporum dioecesanorum de quo in can. 246 (de Populo Dei), parochus, iusta de causa et secundum Ordinarii loci praescriptiones, potest concedere sive singulis fidelibus, sive singulis familiis dispensationem ab obligatione servandi diem festum vel diem paenitentiae aut commutationem eiusdem in alia pia opera; idque potest etiam Moderator Instituti clericalis vitae consecratae, quod propriis subditos.*

— Ad ius Episcopi dioecesani quod attinet, proponitur ab aliquo Consultore ut dicatur expresse ipsum posse totam dioecesim dispensare ab obligatione servandi diem festum vel diem paenitentiae. Alius Consultor animadvertisit talem explicationem non esse necessariam, quia ex tenore can. 246 (De Populo Dei) patet potestatem Episcopi dispensandi a lege extendi posse etiam ad totam dioecesim.

— Quoad facultatem parochi dispensandi fideles, nonnulli proposuerunt ut restringatur « ad singulos casus ». Consultores talem suggestionem non approbant, quia, vi huius canonis, pertinet ad Ordinarium praescriptiones dare de huiusmodi rebus.

— Suggestum est ut dicatur parochum dispensare posse etiam peregrinos. Exc.mus Secretarius adnimadvertisit id non esse necessarium, quia in normis generalibus expresse dicitur parochum potestatem habere etiam in peregrinos.

— Nonnulli suggesserunt ut dicatur in canone parochum dispensare posse totam paroeciam. Etiam duo Consultores id petunt et ad talem finem proponunt ut deleantur verba « sive singulis fidelibus sive singulis familiis ». Fit suffragatio an placeat delere illa verba: placet 4, non placet 2.

— Aliquis Consultor proponit ut addatur: « ... Moderator Instituti clericalis vitae consecratae *iuris pontificii* ... ». Propositio haec omnibus Consultoribus placet.

— Suggestum est ut addatur in fine: « ... aliosque in domo diu noctuque degentes ». Suggestio haec omnibus Consultoribus placet.

*Can. 44 (CIC 1246)*

*Supputatio diei festi, itemque diei paenitentiae, facienda est a media nocte usque ad medianam noctem, salvo praescripto can. 170 (de Sacramentis) et firma facultate satisfaciendi vespere praecedenti pracepto Missae assistendi, ubi id concessum fuerit.*

— Nonnulli suggesserunt ut supputatio diei festi fiat a vespere diei praecedentis usque ad medianam noctem. Consultor quidam animadvertisit talem supputationem non esse opportunam, quia secumferret non solum possibilitatem satisfaciendi vespere praecedenti pracepto missae assistendi, sed etiam obligationem abstinendi eodem vespere ab operibus et negotiis.

— Consultores, attentis cann. 176 ss. (De normis generalibus) circa supputationem temporis, et can. 79 (De sacramentis) circa facultatem satisfaciendi vespere praecedenti pracepto assistendi missae, censem praesentem can. 44 esse superfluum et ideo proponunt ut deleatur.

Adunatio diei 7 decembris 1979

TITULUS V  
DE DIEBUS FESTIS

*Can. 45 (CIC 1247)*

*Praeter diem dominicum, qui in universa Ecclesia uti primordialis dies festus de pracepto servari debet, diem quoque Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi et unam ex sollemnitatibus B. M. V. a Conferentiis Episcopilibus designandam, penes eandem Conferentiam Episcopalem est determinare quinam alii dies festi in suo territorio sub pracepto servandi sint.*

- Consultores decernunt ut Tit. V fiat Cap. I.
- Suggestum est ut rubrica ita mutetur. « De diebus festis de pracepto ». Suggestio non placet Consultoribus.
- Quoad can. 45 nonnulli conquesti sunt eo quod non sufficienter extollatur momentum diei dominici, alii reductionem festorum reprobarerunt et proposuerunt ut in Codice determinentur omnes dies festi in Ecclesia universalis servandi, facta tamen Episcoporum Conferentiis

facultate fideles suos dispensandi, pro quibusdam illis diebus festis, a praecepto, vel etiam alios dies festos addendi pro suo territorio. Aliqua organa consultationis praeterea indicem festorum pro tota Ecclesia proposuerunt, attamen diverse opinaverunt circa sollemnitates in ipso indice includendas.

Consultores discussionem faciunt ad quaestionem accurate examinandam. Omnes concordant circa opportunitatem extollendi momentum diei dominici. Quoad alias dies festos forte recensendos, quaeritur ab aliquo Consultore quaenam sit mens Dicasterii Romanae Curiae pro hac materia competentis. Consultor refert circa praxim actu in Ecclesia vigenti, prout illi Dicasterio constat, ex qua appetet fere impossibile esse aliquem indicem festorum redigere, qui condicionibus omnium regionum aptari possit. Ipsi Consultores diverse opinantur circa dies festos forte recensendos, quare melior solutio videtur illa quae in Schemate proponitur, ut nempe demandetur Conferentiae Episcoporum facultas determinandi alios dies festos, praeter diem dominicum, in suo territorio sub praeepto servandos.

Consultores item concordant ut in canone designentur tamquam dies festi Nativitas Domini Nostri Jesu Christi et saltem una ex sollemnitatibus B.M.V. ab Episcoporum Conferentia designanda. Peculiaris quaestio habetur utrum opportunum sit determinare in lege universalis quaenam sollemnitas B.M.V. ut dies festus servanda sit, uti nonnulla Organa consultationis petierunt. Post brevem discussionem Consultoribus melius videtur ut quaestio demandetur Episcoporum Conferentiis, quae unam vel aliam sollemnitatem B.M.V. seligere possunt secundum pietatem christifidelium singularum regionum.

Omnes Consultores concordare videntur circa ea quae nuper dicta sunt, uno excepto, qui vellet indicem omnium festorum in Codice recensire, facta facultate Episcoporum Conferentiis non solum dispensandi ab aliquibus festis, sed etiam addendi alios dies festos pro sua regione.

His omnibus disceptatis, redactio canonis ita proponitur et ab omnibus approbatur:

« § 1. Dies dominicus in quo mysterium paschale celebratur, ex apostolica traditione, in universa Ecclesia uti primordialis dies festus de praeepto servandus est. Itemque servari debet dies Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi et saltem una ex sollemnitatibus B.M.V. ab Episcoporum Conferentia designanda.

§ 2. Conferentiae Episcoporum est etiam determinare quinam alii dies festi in suo territorio sub praeepto servandi sint ».

*Can. 46 (CIC 1248)*

*Festis de praecepto diebus Missae celebrationi fideles participant; et abstineant ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis ac corporis relaxationem impeditunt.*

— Plures petierunt ut redactio canonis mutetur ita ut eluceat gravitas praeepti Missae participandi diebus festis. Suggestio haec placet Consultoribus. Duo Consultores praeterea vellent adhibere generaliorem formulam, ut nempe fidelibus detur praeeptum sanctificandi diem dominicum aliosque dies festos, praeferunt per participationem Missae; sed alii Consultores praefecerunt ut in canone precipiantur in concreto quae observari debent, vitatis locutionibus generalioribus ex quibus dubia vel anxietates oriri possent.

His dictis, formula canonis ita mutatur: « Die dominico aliisque diebus festis de praecepto fideles obligatione tenentur Missam participandi. Abstineant insuper ab illis operibus... ».

— Nonnulli suggesterunt ut alia praeepta dentur, diebus festis observanda, ex. gr. ut parentes magis illis diebus educationi filiorum attendant et alia huiusmodi. Praeterea suggestum ut praeeptum fiat de obligatione interveniendi alicui celebrationi Verbi Dei, quando Missa, ob carentiam sacerdotum, celebrari non potest.

Consultores censem haec omnia pertinere ad curam pastoralem, cuius erit eadem commendare ac fovere, quin multiplicentur obligationes iuridicae.

— Suggestum est ut detur facultas Episcopis assignandi, ubi desunt sacerdotes, alii hebdomadae diei praeeptum participandi Missae celebrationi, firmis ceteris obligationibus dierum festorum. Propositio non placet Consultoribus, quia observatio huiusmodi obligationis perdifficilis evaderet.

*Can. 47 (CIC 1249)*

*Legi de Missae participando satisfacit qui Missae assistit ubicumque legitime celebratur ritu catholico.*

— Suggestum est ut deleatur verbum « legitime ». Omnes Consultores, uno excepto, talem suggestionem approbant, quia saepe saepius causa illegitimitatis residet in ministro sacro et non debent puniri christifideles pro tali culpa ministri sacri.

— De sententia quorundam mutari debet locutio « missae assistit », quia sensu liturgico loqui debet de participatione christifidelium Missae sacrificio. Consultores respondent in hoc casu consulto adhibitam fuisse locutionem « Missae assistit », quod implicat ad satisfactionem praecepti necessarium esse ut saltem quis Missae *assistat*.

— Nonnulli animadverterunt circa necessitatem coordinandi hunc canonem cum norma quae habetur in Directorio Oecumenico (n. 47) circa participationem Missae a ministro orthodoxo celebratae.

Consultor quidam meminit de hac participatione Missae a ministro orthodoxo celebratae haberi canonem in parte de Sacramentis, quare in praesenti canone sufficeret clausula « salvo can. 4 (de Sacramentis) ». Omnes alii Consultores vero nullam mentionem illius canonis de Sacramentis necessariam ducunt quia praesens can. 47 modo positivo redactus est, ita ut non excludantur per se aliae concessiones a legitima auctoritate forte datae.

— Ad uno Organo consultationis suggestum est ut dicatur in canone non satisfieri pracepto de Missae participando cum Missa celebretur in sacello privato. Propositio non placet Consultoribus.

— Consultoribus placet ut transferatur in praesentem canonem norma qua conceditur ut pracepto satisfieri possit inde a vespere diei praecedentis.

His omnibus dictis, ita canon communi consilio redigitur: « Praecepto de Missa participanda satisfacit qui Missae assistit ubicumque celebretur ritu catholico vel ipso die festo vel vespere diei praecedentis ».

## TITULUS VI

### DE DIEBUS PAENITENTIAE

*Can. 48 (novus)*

§ 1. *Curent pastores animarum fideles constanter admonere de obligatione qua tenentur omnes paenitentiam agere, eosque bortari ut, toto tempore quadragesimali atque feriis sextis per annum, praesertim feria sexta in Passione et Morte Christi Iesu actus paenitentiales, inter quos ad exemplum Christi Domini praeeminet iejunium, corde contrito peragant.*

§ 2. *Conferentiarum Episcoporum est dies et formas paenitentiae suis regionibus aptatas determinare, fidelibus suis proponere et, ratione habita adiunctorum, easdem praescribere.*

— Consultores decernunt ut Tit. VI fiat Cap. II.

— Circa can. 48 plura Organa consultationis conquesta sunt eo quod in lege universalis non praescribantur opera paenitentiae ab omnibus observanda, et remissio fiat ad Conferentias Episcopales sive quoad formas paenitentiae, sive quoad dies, sive quoad alias determinationes circa aetatem eorum qui paenitentiae tenentur, etc. ... Est qui censeat canonem in schemate propositum non respondere spiritui Constitutionis « Paenitemini ». Ab aliquo Organo consultationis suggestum est ut tota materia ita fuse in variis canonibus disponatur:

*Can. 48:* « § 1. Omnes christifideles, suo quisque modo, paenitentiam agere ex lege divina tenentur; ut vero cuncti communi et aequali quadam paenitentiae observatione inter se coniungantur, lege ecclesiastica adsunt dies paenitentiales, quorum celebratio, leges ieunii et abstinentiae fideliter observando, signum vivum sit unitatis Ecclesiae.

§ 2. Dies paenitentiales in universa Ecclesia de pracepto servandi sunt feria sexta in Passione et Morte Domini Nostri Iesu Christi, eiusque memoriam recolendo singulae feriae sextae totius anni, nisi cum aliquo die festo inter sollemnitates recensito occurrunt necnon feria quarta Cinerum, qua tempus Quadragesimae, propriam indolem paenitentialem retinens, inauguratur ».

*Can. 48 bis:* « § 1. Lex ieunii praescribit, ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat bis praeterea aliquid cibi sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine.

§ 2. Lex abstinentiae iuxta receptum Ecclesiae morem vetat carne vesci; loco huius vetiti abstinentia ab alio cibo a Conferentia Episcoporum pro suo territorio praescribi potest ».

*Can. 48 ter:* « § 1. Abstinentia servetur singulis anni sextis feriis, qui sint dies paenitentiales; abstinentia vero et ieunium feria quarta Cinerum et feria sexta in Passione et Morte Domini Nostri Iesu Christi.

§ 2. Tempore Quadragesimae christifideles spiritu paenitentiali oratione vacent, saltem certis diebus libere electis, ieunium pro posse servent simulque dent testimonium caritatis erga fratres, qui paupertate et fame vexentur ».

*Can. 48 quater:* « Lege abstinentiae ii tenentur, qui decimum quartum aetatis annum expleverint; lege veroieiunii astringuntur omnes aetate maiores usque ad annum incepsum sexagesimum. Quod ad eos autem spectat qui minoris sunt aetatis, singulari modo carent animarum pastores atque parentes, ut ii ad genuinum paenitentiae sensum informantur ».

Consultores tales animadversiones ac suggestiones p[re]ae oculis habentes, suas sententias proferunt.

Unus Consultor censet animadversiones factas maximam considerationem mereri; oportet enim ut lex universalis normas aliquas communes det pro tota Ecclesia. Alii Consultores idem sentiunt, attamen tribuere volunt etiam Conferentiis Episcoporum facultatem pressius determinandi formas paenitentiae.

Ipse Consultor praeterea proponit ut habeatur canon praeliminaris in quo dicatur, tamquam principium generale, omnes fideles teneri ex lege divina ad paenitentiam agendam, qua de causa Ecclesia curat ut fideles, communi quadam paenitentiae observatione, inter se coniungantur, sive dies paenitentiales praescribendo, sive formas quasdam paenitentiae peculiariter determinando.

Duo alii Consultores censem vitandas esse determinationes tam rigidas quae ducant ad casisticam et formalismum.

Ad formam paenitentiae quod attinet, Consultores concordant ut modo indicativo proponantur formae traditionales nempe ieinium, abstinentia, opera caritatis, exercitationes pietatis, etc.; modo autem imperativo proponantur ieinium et abstinentia pro certis diebus vel temporibus.

Circa abstinentiam peculiaris quaestio fit an restringi debeat ad comedionem carnis vel etiam ad alios cibos secundum praescriptionem Conferentiae Episcoporum. Consultor quidam defendit notionem traditionalem abstinentiae, vetitum nempe carne vesci, tamquam formam quandam distinctivam paenitentiae christianorum; alii Consultores vero censem talem abstinentiam a comedione carnis cohaerere culturae et moribus quorundam populorum et ideo non opportunum ducunt aliis populis illam imponere, cum pro ipsis populis maiorem paenitentiam forsitan importet abstinentia ab aliquo alio cibo.

His omnibus disceptatis, committitur alicui Consultori ut aliquam formulam canonis proponat, quae sit basis discussionis pro redactione novi canonis. Talis discussio habebitur in proxima Sessione.

*Can. 49 (novus)*

*Episcopi dioecesani peculiares suis dioecesisbus seu locis dies festos  
aut dies paenitentiae possunt, per modum tantum actus, indicere.*

— Hic canon translatus est tamquam § 2 canonis 42, uti supra dictum est.

